

AENEAS  
HOSPITIO ACESTIS IN SICILIA  
EXCEPTVS,

---

DRAMA,  
QVO  
CONSVLI MAGNIFICO  
FASCES QVINTVM AVSPICATO  
CAPESENTI,

ATQVE  
VNIVERSO MAGNIFICO ATQVE AMPLISSIMO  
ORDINI SENATORIO  
CIVITATIS ZITTAVIENSIS

INCLVTAE,  
GYMNASIVM GRATVLAVNDVM  
PIETATEM SVAM ET SVBMISSIONEM DEBITAM  
LAETISSIME OFFERT,

AD QVOD  
D. XXV. OCTOBR. CIOCCCLXIV.

H. L. Q. C.  
SPECTANDVM AVDIENDVMQVE,  
QVA PAR EST,  
DEVOTIONE, OBSERVANTIA ET AMORE

INVITAT  
ADAM DANIEL RICHTERVS,  
GYMNAS. DIRECTOR.

---

ZITTAVIAE, LITTERIS VIDVAE STREMELIANAE





**S**i in oratione ista uis et praeslantia est, ut, qui dicendo ualent, se omnibus sufficere posse credant, nil admirabilis fieri ego ominor, eoque magis, si haec omnia in adolescentibus sunt. Et in hac orationis uis et potestate causam esse facile puto, ut ars dicendi inter caeteras, quibus iuuenes ad humanitatem impertiri debent, statim iis temporibus, quibus ludia litterarum in cunis, ut ita dicam, adhuc uagare inciperent, principem locum haberent, utque Praeceptores scholarum omni tempore in doctrina de arte dicendi multam elaborauerint. *Orphei* enim artem in canendo ipse *Tullius* de eloquentia *Threiceis* huius uitis interpretatus est. Dicendi etiam exercitatio penes *Graecos* et *Romanos* a summis uiris ita exulta est, ut feroces animos ad mitiora omnibus in locis saepius deducere poterint eloquentes homines. Veteres etiam *Germani*, quamuis gens essent fera et barbara, pro temporum istorum genio rudis, simplex, agrestis et fatis inculta, ut litteris et eruditioni pretium suum certe non statuerint, tamen habebant facundiam suam et suos *Druidas*, qui cum sapientiae tum eloquentiae magistri fuerint. Non quidem uersamur inter *Thracas*, qui feroces erant, nec inter *Graecos* et *Romanos*, penes quos contentione opus fuit, tamen uero quilibet eloquentiae iustum suum pretium apud nos statueri solet, non in templo solum et foro, sed in circulis etiam, in disputationibus, congressionibus familiarum, in conuiuiis et omnibus locis, ubi negotiari opus est, ita ut iuuenes propterea in scholis artem dicendi inprimis docendi sint. Et sic iuuenes ad scholas Rhetorum ex aedibus paternis ablegandos esse, communi quidem consensu omnibus constat, utinam uero ut magistri in exercitationibus suis consentire inciperent, ne eloquentia ipsa saepe abusa diutius corrupta sit. Complures enim, teste *Quintiliano*, audaciam quamdam impudentem, eamque uestitu conspicuo et capite comto clamorem magnum, quem a suis alumnis tanquam totum rei pondus et unicum postulant, ipsam eloquentiam esse opinantur, ita ut rerum aestimatores iusti omnino nouerint, quae praerogatiua scholarum esse debeat, in quibus magister bonus Orator, uel saltem, si non bonus Orator, bonus tamen Rhetor est. Quoniam uero mihi iam sermo tantum esse debet de exercitationibus in arte dicendi, nolo in arenam conscendere cum illis, qui de praeceptis eloquentiae disputant, quorum utilitatem a tempore *Caroli Magni*, qui publice scholas Rhetoricas in Germania primus instituit, nemo negare ausus est. Concedo equidem lubenter, praeter usum et exercitacionem regulis etiam et praeceptis opus esse, ita tamen, quum in praeceptis solis sine natura, qua quidem continetur id, quod diuinum, graece *ἰσχυρῶς*, eloquentiae inesse dicitur, ut eloquentem efficiant, non positum sit, ut meo quidem iudicio eloquentia usu potius, multis exemplis, multisque exercitationibus, quam multis regulis et praeceptis confici posse mihi uideatur. Praeterea hic meus sermo de tironibus est in arte dicendi, qui iam secundum potiores regulas Rhetoricas scribendi dicendique modum nouerint, nunc autem in arte declamandi occupari debeant. Penes istos enim cardo rei non amplius in eo uersatur, ut rebus inuentis et dispositis uerba, quae recte significant et exprimunt, uerbis uero sonum uocis accommodare discant, quae omnia in scholis ad doctrinam in classe Rhetorica, hodie secunda, pertinent, sed ut efficaci motu corporis, pondere uultus composito et oculorum uigore, quae exprimuntur, agere discant, ita, ut multum utilitatis ex usu dicendi et frequenti exercitacione ad iuuenes in arte dicendi formandos redundet, si passim recte erudiuntur, quid in uoce, in oculis et in ore, in manu et digitis, inque gestu et statu corporis uniuersi pro re et tempore decorum esse debeat. Saepe enim audimus iuuenes pensa pro felicitate ingenii, quo gaudent, fatis commode aliquando elaborata, et quae non infelici memoria non raro etiam comprehenderit, recitare, sed, Deum immortalem! qua uocis ineptitudine, quam nullo pondere, quam exiguo aurium iudicio, quam contra rei naturam et dignitatem, mira uocis contentione, uultu multiformi, oculo uago et petulanti, iactatis brachiis, saltantibus pedibus, lasciuientibus lumbis, uariis motibus et gesticulante toto corpore, ita ut boni isti iuuenes, teste *Quintiliano*, sua scripta memoria comprehensa magis proclamare, quam digne recitare uideantur. Et sic declamandi exercitia apud ueteres longe alia fuerunt, quam apud nos sunt. Habebant enim in perficienda uoce *Phonascos* suos, qui *phlogario* suo et *stibula*, quam *tonorium* uocauerunt, uocis modos et tenores in tironibus eloquentiae regebant, quod quidem munus modos et tenores uocis in discipulis eloquentiae regendi commode fatis in nostris scholis cum munere *Cantoris*, qui dicitur, coniunctum esse possit et debeat. Et in ipsa actione magnus ille *Cicero Roscium* magistrum habu-

habuit, non Saltatorem et Choram, quod quidem genus hominum pestis scholarum est, sed Chorographum, qui, praeter commoda genera saltationum, gestus praesertim corporis uniuersi, singulis rebus in uita communi et ciuili semper et ubique conuenientes, docere poterat. Disputamus ergo de eloquentia, quam Cicero corporis et solam dominam esse dicit, pronunciationem putat et actionem. Licet uero omnes in eo consentiant, iuuenes in schola ad utramque recte et sapienter erudiendos esse, tamen uero in doctrina ipsa, ut recte et sapienter omnia instituant, multi boni praeceptores nondum consentiant.

Genus enim exercitationum in arte dicendi, quod frequentissimum in scholis nostris huc usque uigere coepit, sunt *Actus* sic dicti *Oratorii*, quibus istam uim inesse multi uolunt, ut iuuenes dicere discat sine timiditate, ut uocem moderari consuecat, nec non uultum et gestum corporis, cum quadam uenustate, quae decet et placere potest. Multum utilitatis quaerunt etiam in eo, quod eiusmodi exercitiis dicendi memoria, quae omnino eloquentiae insignis thesaurus est, mirifice excolatur. Constat enim satis, quod uox suum officium non praestare, nec decencia quaedam in gestibus adesse potest, nisi declamatores memoria diligenter tenent, quae dicere uolunt. Et sic Praeceptores discipulis suis rite quidem iniungunt, ut memoriter pronuncient, si quos sermones habituri sint, discipuli autem bene ipsi sibi consulunt, qui hac difficultate, quam primi illi labores habent, se detereri non patiuntur, quoniam talis diligentia non cum tempore solum minuitur, sed olim quoque compensari solet fructu multiplici. Quum autem uox, uti Rhetores docent, in pronunciano semper affectui conueniens esse debet, ut in lenitate submissa, in grauitate inclinata, in zelo incitata, in parrhesia libera, in dolore et in commiseratione inflexa atque interrupta, in amore autem suauis, in metu ac uerecundia contracta et demissa, et in alio affectu alia sit, credunt itaque multi boni Praeceptores, hac sola sua arte declamatoria in scholis omnino fieri posse, ut tirones sonum sibi multum exercendo clarum tandem efficiant, qui audiatur, expressum, qui intelligatur, suauem, qui aures demulceat, accentum autem sic consistere discant, qui efficax sit, ut sensum uerborum cum impressione indicet, qui conueniens sit, ut debito loco adhibeatur, qui naturalis sit, ut ab indole dicentis non alienus appareat. Denique uolunt illi uiri omnes, qui *Actuum* sic dictorum *Oratoriorum* magni collaudatores sunt, gestum motumque fieri eo decentiorem, quo diligentius tirones publice prodire audeant, quia expendere discant sensim sensimque, quid sibi dicentibus conueniat, quae decencia ad auditores pertineat, et quae res sit, de qua dicendum est, ne more histionum gestulari constescere audeant, quia praefat oratorem in agendo eo parciozem esse, quam ut inani uanitatis affectatione ridiculum se publice praebet.

At non desunt multi, multum auersi ab eiusmodi *Actibus Oratoriis*, qui negant, quod ad fines obtinendos sufficere possint scopo non satis accomodati, asserentes praeterea, quod eiusmodi exercitia in arte dicendi rebus scholae plus incommodorum detrimentique, quam fructus afferant. Dicunt etiam, quod eiusmodi declamationes eloquentiae potius, quam loquendi exercitia sint, quum tamen maior numerus eorum in scholis acrescat, qui ad sermonem in uita communi formari uolunt, quam eorum, qui ornatu dicendi praellare cupiunt. Sero etiam medicinam parari credunt *Actibus* eiusmodi *Oratoriis*, qui modo in superioribus classibus institui solent, ita, ut uitia timiditatis, pudoris et rufficitatis in iuuentute iam adulta uix nunc extirpari aut corrigi possint, quoniam quod semel sit imbuta recens seruare solet odorem testa dui, ut ne dicam, id quod tamen illi uiri maximopere monent, quod ad morbum istum depellendum aequae ac ad comparandam uim et uenustatem eloquentiae corporis talibus exercitiis saepe iteratis opus sit. Sunt tandem, qui omnem utilitatem negant, quam eiusmodi *Actus Oratorii* habeant, satis acriter disputantes, quod damnus potius adferrent non minimum multaque incommoda, quia eiusmodi *Actus Oratorii* plerumque de rebus instituerentur, quae tironibus non satis notae sint, qui itaque non nisi contiones cum multo angore sarcinarent, multaque ignorantia et imprudentia componerent, plerumque in lingua exotica, quam prompte explicare nondum didicissent, conscriptos; quodque haec exercitia non cuilibet discentium aequae necessariae sint, quia in animi infirmitatibus, sicuti in membris, remediis uariandum diuersoque modo et mensura utendum sit; et quod tandem eiusmodi *Actus Oratorii* non lectionibus ordinariis solum in schola derogarent, sed plerumque etiam sine omni priuata praeparatione instituerentur; ut eloquentiae corporis plane nulla ratio haberi solet, utique in uoce, in uultu, in gestibus, et in uniuerso externo corporis habitu, quae omnino in oratore libere stante non sine taedio conspiciantur, haud corrigenterentur, et sic finis *Actuum Oratoriorum* palmarius, quum rei caput neglectum sit, nullo modo obtineri possit.

In his omnibus ergo multi habentur, qui *Comœdias* laudant, utpote quibus ab antiquis temporibus iam locus vindicatus sit inter remedia, quae optima sint timiditatis malorumque ab illa pendentium. Pugnanti autem pro sua sententia non solum, ut demonstrant, in *Comœdiis* morum emendationem esse, quia *Comœdiae* uitae priuatae exempla proponunt, quum quotidianae uitae speculum priuataeque et ciuicis consuetudinis imago sint, in qua, ut *Cicero* dicit, effictos mores nostros expressamque imaginem uitae uidere liceat; sed affirmant etiam, quod iuuenes in scena melius, quam omnibus aliis exercitiis dicendi, parthesiae, quae, ut attoniti non obmutescant hominumque uultus et frequentiam ferre discant, multum ualet, affluerent, quodque in scena longe melior memoriae confirmatio, uocis melior correctio et dignitas actionis cum dicendi libertate, quae modernis moribus magis conueniat, longe facilius acquiri possit, quam per alia exercitia Oratoria fieri non soleat. Dicunt itaque isti uiri, scenas non *Comœdos* et *Actores scenicos* formare, sed ciues sufficienter sermone instructos, qui, tirocinii rudimentis in scena bene positis, crescentibus annis loquendi facultatem et prudentiam acquirant, ut sic rite instructi olim in aula, in curia et in uita communi munia sua recte implere possint. Et haec etiam sine dubio causa fuit, ut ipsi terrae *Saxonicae* *Gloriosissimi Principes* in ordine suo scholis praescripto, germanice in der Churfürstl. Sächsl. Schul-Ordnung, permiserint, ut *Comœdiae* quaedam *Terentii* et *Plauti* memoriae mandatae recitentur a scholarum discipulis in spectatorum praesentia. Licet uero his uiris ita sentientibus sermo sit de *Comœdiis*, quae ita insituntur, ne laedatur gloria Dei, ne ludificetur uera religio, ne proximo scandalum detur nouementumque, tamen multi cordatiores obiciunt, *Comœdias* generatim ob uitiorum repraesentationem, quae ex legibus *Dramatum* sit, animos deprauare et inficere ludentium pariter spectatorumque. Quid? quod *Clarissimus GEORGIVS SARGANECK*, Inspector olim *Adiunctus Paedagogii Halensis*, in Programmate suo Halae anno 1743, de *Actuum oratoriorum in re scholastica utilitate et damnis*, nec regulas nostras, ab aliis quibusdam magnis uiris satis adprobatas, istius *Comœdiae*, quae uirtutum tantum imitatio et honor esse potest, istis quidem ex causis approbat, quia in quolibet genere *Comœdiarum* scopus, qui sermonis facultas constituitur, non nisi magnis sumptibus et ingenti opera acquiri possit. Commendat autem hic *Clarissimus Vir* multo magis in isto suo Programmate illud ludorum scenicorum genus, quod dedit olim *Celeberrimus Comenius*, magnus Didacticus suo tempore et Reformator scholarum, in *Vestibulo suo*, in *Ianua Latinitatis*, in *Atrio*, et in libello suo, quem *Orbem Pictum* dicere uoluit.

Sed quum in singulis exercitationibus Oratoris praeter incommoda quaedam minora, quae haud euitari possunt, sua utilitas est, ut ideo inter se consentire possint, certe etiam utuperandas non est, qui res in schola iungit, quae inter se, ut iungantur, consentiant. Ego *Orbem Pictum Comenii* magnis aestimo, de quo multi uiri sapientiores saepe adhuc peroptauerunt, ut puriore latinitate donatus adque hodierni seculi genium magis accommodatus prodiret; quia autem multi in schola in id incumbunt, ut in templo et in aliis locis, ubi eloquentia, orationis copia et ornatus opus est, aliquando ualeant, ego quidem hac consideratione rerum puto, *Actus Oratorios* in arte dicendi optimum exercitium esse, ut isti tirones eloquendi libertatem, alacritatemque animi promptiorem, decus ac uirtutem consequantur. In iis autem, qui olim in Curia utraque mereri, uel alia munia in uita communi exequi cupiunt, ego certe non uideo, quae sermonem, quo isti tirones opus habebunt, docendiaratio melior esse possit, praeter eam, quae in *Scena* suppeditatur, quia sermonem in bonis exemplis insituentium commodissime docet. Boni itaque Praeceptores haec tria remedia ad depellendam timiditatem in iuuentute et ad conscendam facultatem tum sermonis cum eloquentiae ita semper perant, uel saltem temperare debent, ut neque *Comœdias*, neque *Actus Oratorios*, neque *Libellos Comenii*, in quibus ego *Orbem Pictum* praesertim *Classibus Rhetoricis* scholarum utilissimum laudo, sine omni discrimine ad res reuiculas referant.

Quod uero separatim ad *Comœdias* attinet, ego *Latinis* praesertim, quas *Principes Nostri* in *Legibus suis Scholasticis* ab alumnis scholae in praesentia spectatorum recitari permittunt, singularem utilitatem suam esse puto, ut discipuli copiam uocabulorum, quae in sermone obueniunt, proprietatem etiam et puritatem, generatim uero sermonem uentusum, et subinde ingeniose formatum, cum uolubilitate quadam latinae linguae omnium sane commodissime addiscant. Maxime uero *Comœdias* latinas illas laudare uelim, in quibus historias repraesentamus, quae ex ipsis Auctoribus, quos scholae enucleare solent, desumptae sint.

Cum

Cum itaque ab antiquis temporibus usu receptum sit, ut *Gymnasium Zittawienſe* poſt anniuerſarias uices regiminis factas *MAGNIFICIS DOMINIS CONSVL- BVVS* atque *VNIVERſO ORDINI SENATORIO AMPLISSIMO* uotis pre- cibufque publicis pietatem ſuam ac obſequia teſtari, *Dramatque Latino* quodam deinde laetari ſoleat, quis hanc praerogatiuam, ſi intelligit hunc inſignem uſum, quem ſcholae praeflare poſſunt, quibus cuiufmodi exercitatio ſermonis latini a *Patronis* libera relinquitur, *noſtri Gymnaſii* euertere uolet aut poterit?

Cratina ergo luce, quod Deus bene uertat, audita *Hora* a meridie ſecunda, *Senatu Ampliſſimo Auctore*, inſtituemus haec pietatis noſtrae gratulabundae anniuerſaria exercita, quorum argumenta, et qua ratione diuſa ſint, iam nunc indicari fas eſt. *Dramatis* autem totius prima facies ex L. V. Virgilianae *Aeneidos* deſumpta et ſequela a nobis conſtituta haec eſt:

### ACTVS I.

- SCENA I. *Aceſtes*, Rex Siciliae, dum aequoris unda inhorreſcit, timet de Aenea, ne denuo in fluctibus oberrare coactus ſit.
- SCENA II. *Entellus*, nobilis Siculus, Regi ſuo, *Aceſti*, aduentum militis ex portu exponit.
- SCENA III. *Miles* ex portu *Aceſti*, *Entello* praefente, aduentum *Aeneae* ad lit- tora Siciliae annunciat.
- SCENA IV. *Phegeus*, *Sagaris* et *Patron*, boni ciues, diſputant inter ſe, num res conſilii ſit, ut *Aceſtes Aeneam*, cui ad nocendum numina incitata ſint, hoſpitio excipiat.
- SCENA V. *Aceſtes Aeneam* cum focis benigne exceptum ad ſe uocat.
- SCENA VI. Umbra *Anchiſae* gemit luctus recentes *Aeneae*,
- SCENA VII. *Aeneam* itaque, ut tandem malorum finis ſit, monet, ne ſacri anniuerſarii, quod patri deſuncto debebat, obliuiſceretur.
- SCENA VIII. *Palinurus*, Gubernator claſſis *Aeneae*, cauſa dicta de itinere in Siciliam, ab *Aenea* iubetur ſocios conuocare ad ludos funebres.
- SCENA IX. *Aeneas* rogat *Aceſten*, ut ſibi licitum ſit, Parenti demortuo an- nua uota in Sicilia perſoluere.
- SCENA X. *Palinurus* cum *Aſcanio*, filio *Aeneae*, *Aeneam* de ſacrificio, quod paratum ſit, certiorum facit.
- SCENA XI. Solemnitas ſacrificii peragitur.
- SCENA XII. Sacrificio peracto *Aceſtes* et *Aeneas* breuiter de ludis dicunt, qui inſtituti ſunt.
- SCENA XIII. *Pholoe*, *Creſſa*, *Pyrgo*, Troianae mulieres, laudant pietatem *Aeneae* in patrem deſunctum.

### ACTVS II.

- SCENA I. *Entellus* ſuam abſentiam in ludis nauticis, cauſa in ſolam ſene- cutem tranſlata, *Aceſti* et *Aeneae* excuſat.
- SCENA II. *Diores*, nobilis Troianus et curſura ualens, qui, *Aceſte* iubente, *Entello* exponit, quae in ludis nauticis geſta ſunt, cum *Palinuro* acce- dunt, optantes, ut ludi in campo uiridi pariter placeant.
- SCENA III. *Diores*, ſolus relictus cum *Entello*, adhuc amplius dicit de prom- titudine certantium, deque uictoribus et praemiis.
- SCENA IV. *Phegeus*, *Sagaris*, *Patron*, loquuntur de ludis *Aeneae* in campo uiridi.

### ACTVS. III.

- SCENA I. *Aeneas*, *Niſus*, foris Troianus, *Aceſtes* et *Entellus* diſputant de praemiis in ſtadiodromia poſitis.
- SCENA II. *Dares*, Troianus, ſpatioſo corpore et magnus pugil, accedit, cui *Entellus* primum immanes, et deinde tractabiliores caeſtus, prouocatus, offert.

- SCENA III. *Aeneas* consilium de sagittatione, quam addere cupit, cum *Aceste* communicat.
- SCENA IV. *Iris*, ab *Iunone* coelo demissa, Troianis pestem machinatur.
- SCENA V. *Cressa*, *Pholoe*, *Pyrgo*, optantes domicilia fixa, aerumnas longioris exilii detestari incipiunt.
- SCENA VI. Accedit *Iris*, subita transformatione sui in *Beroen*, nobilem et gratiosam matronam, quae exaggerat miseriam diuturni exilii, et mulieres Troianas hortatur, ut, permanens in Sicilia, ignem in classem coniciant.
- SCENA VII. *Aeneas*, *Acestes* et *Nisus*, uictoriam *Entelli* de *Darete* in pugillatu mirantur, *Acestes* autem *Aeneam* separatim bene sperare iubet de combustione iaculi sui in nubibus inter sagittandum.
- SCENA VIII. *Heautonpanegyriarchumenos*, Dux militiae, numerum militis sui recolat.

#### ACTVS IV.

- SCENA I. *Aeneas* *Acesti* brabeium, diuino ostento ipsi destinatum, decernit.
- SCENA II. *Afcanius* cum *Niso* celeriter accurrit, perturbatus ob fauillas, quae ex portu uisae sunt.
- SCENA III. *Eumelus*, miles Troianus, celeriter accedit annunciaturus, naues in portu a Troadibus incensas esse.
- SCENA IV. *Aeneas*, solus relictus cum *Afcanio*, deplorat conflagrationem nauium.
- SCENA V. *Nisus*, ex portu recurrens, *Aeneam* solari studet, quod, quatuor nauibus incendio deletis, reliqua tamen classis salua sit.
- SCENA VI. *Aeneas* haesitat in hac sua calamitate, maneat an in Sicilia, an in Italiam pergat.
- SCENA VII. *Nauites*, comes *Aeneae*, *Aeneam* hortatur, ut, colonia classiariorum, quorum naues incendio amissae sint, nec non mulierum cum senibus et aliis, qui navigationis pertaesi sint, apud *Acestem* deposita, cum reliquo robore exercitus Italiam petat.
- SCENA VIII. *Nauites* *Acestem* de ista colonia deponenda rogat, quam *Acestes* *Aeneae*, statim accedenti, libens promittit.
- SCENA IX. *Pholoe*, *Cressa*, *Pyrgo*, multum lugent, quod illas in Sicilia nunc manere oporteat.

#### ACTVS V.

- SCENA I. *Venus* *Neptunum* rogat, ut *Aeneae* suo tuto nauigare in Italiam licitum sit.
- SCENA II. *Neptunus* *Euro*, qui ab oriente fiat, et *Zephyro*, qui aduersus *Eurum* flare dicitur, uitam ueluti interminatur, ne amplius in aequore *Aeneae* obstare audent.
- SCENA III. *Neptunus* *Veneri* suam in *Aeneam* uoluntatem ampliter testificatur.
- SCENA IV. *Venus* igitur de promissis *Neptuni* uehementer laeta est.
- SCENA V. *Aeneas* *Acbati*, consiliatori suo, affirmat, se in nouo apparatu itineris sui Ioui et Neptuno confidere.
- SCENA VI. *Aeneas* *Palinurum* admonet, ut alacrem remigationem diligentissime curare debeat.
- SCENA VII. *Heautonpanegyriarchumenos* ius dicit de *Sempronio*, qui *Murcus* esse maluit, quam fortis miles.
- SCENA VIII. *Somnus*, Deus, interitum *Palinuri* machinatur.
- SCENA IX. *Palinurus* ramo medicato *Somni*, Dei, ictus in mare excutitur.

SC-

SCENA X, *Achates Palinuri* interitum in portu Aeneae annunciat.

SCENA XI. *Aeneas*, licet *Palinuri* interitu perturbatus sit, tamen *Aceffen* ualere iubet, ipse ratem nocturnis in undis rectorus.

SCENA XII. *Proteus*, Deus Maris, Epilogi loco canit protectionem futuram Aeneae in itinere.

## Index Actorum.

- AENEAS, *Immanuel Siegfried Eiserstorff*, Zittauenf.  
ASCANIUS, *Traugott Daniel Richter*, Annaberg. Misn.  
ACHATES, *Johannes Christianus Seyffert*, Seiffen-Hennersdorf. Luf.  
DIORES, *Christianus Gottlieb Ludewig*, Zittauenf.  
PALINVRVS, *Johannes Christianus Gottlieb Goerner*, Zittauenf.  
NISVS, *Georgius Henricus Michaelis*, Zittauenf.  
NAVRES, *Christianus Fridericus Richter*, Heinewald. Luf.  
DARES, *Traugott Willkomm*, Neulatz. Misn.  
NEPTVNVS, *Immanuel Malachias Becker*, Ober-Seiffersdorf. Luf.  
ZEPHYRVS, *Johannes Samuel Nesch*, Nieder-Oderwitz. Luf.  
EVRS, *Johannes Gottlieb Hoenschel*, Zittauenf.  
SOMNVS, *Johannes Gottlieb Wiedner*, Ober Oderwitz. Luf.  
IRIS, *Johannes Gottlob Hartmann*, Zittauenf.  
VENVS, *Johannes Gottlieb Strietzel*, Zittauenf.  
VMBRA ANCHISAE, *Augustus Mathaeus Trier*, Themar. Gothan.  
PROTEVS, *Traugott Willkomm*, Neufalzen. Misn.  
HEROPOEVS, } Sa- *Abraham Traugott Großer*, Ebersbach. Luf.  
EVCHARISTVS, } cri- *Johannes Gottlieb Anders*, Zittauenf.  
CRESMOLOGVS, } ficuli, *Christiann Gottfried Kretschmann*, Zittauenf.  
EVMELVS, *Gustavus Adolphus Wunsch*, Barchwitzenf. Silef.  
CRESSA, *Johannes Christianus Pezoldus*, Schoenberg. Luf.  
PHOLOE, *Benjamin Gottfried Hoenschel*, Zittauenf.  
PYRGO, *Christianus Traugott Hessler*, Loebauenf.  
ACESTES, *Johannes Ernestus Grunwald*, Zittauenf.  
ENTELLVS, *Gottlieb Scheiblerus*, Dorn-Hennersdorfenf. Luf.  
PHEGEVS, *Iulius Fridericus Daniel Richter*, Annaberg. Misn.  
SAGARIS, *Johannes Gottheff Gutsche*, Seiffen-Hennersdorf. Luf.  
PATRON, *Johannes Christianus Drossel*, Zittauenf.  
HEAVTONPANEGYRIARCHVMENOS, *Dux Militum, Traugott Willkomm*, Neufalzt. Misn.  
STRATO, Praetor castrensis, *Gottheff Christianus Keilholtz*, Ottendorfenf. Misn.  
VALERIVS, } mi- *Johannes Gottlieb Seidel*, Zittauenf.  
FELIX, } *Ephraim Gottlieb Gutsche*, Seiffen-Hennersdorf. Lufat.  
SALVIVS, } *Imman. Benjamin Gottlieb Kretschmar*, Megalo-Bobritzenf. Luf.  
STATARIVS, } *Gustavus Adolphus Wunsch*, Barchwitzenf. Silef.  
SEMPRONIVS, } *Christophorus Traugott Michaelis*, Heinewald. Luf.  
SEIVS, } li- *Carolus Benjamin Trischler*, Zittauenf.  
CAIVS, } *Carolus Traugott Brücknerus*, Megalo-Hennersdorfenf. Luf.  
TITIVS, } *Johann. Auguß. Stoeber*, Zittauenf.  
MAENIVS, } *Christian Gottlob Bochner*, Eckartsbergenf. Luf.  
STILPO, } tes. *Carl Gottlob Gabriel*, Dürr-Hennersdorf. Luf.  
CAVPO, *Christian Fridericus Raethel*, Turchau. Luf.  
PVER CAVPONARIVS, *Gottlob. Fridr. Opitzus*, Zittauenf.

## Partes Gratulantium tuentes,

### Sub initium huius Dramatis, dicent

- CHRISTIANVS GOTTLOB KOTTWITZ, Zittauenf. Orat. Lat. quam laboriosum sit regimen subire in magna ciuitate,  
IOHANNES AVGVSTVS DANIEL RICHTERVS, Annaberg. Misn. carmine Heroico Latino in Laudem Zittauiae,  
CHRISTIANVS GOTTFRIED KRETSCHMANN, Zittauenf. quod urbes diritae saepius ut Phoenix ex cinere suo pulchriores resurgant.

CA.

FKye 5290 X 343 9605

V  
D  
18

**CANENDA**  
**IN HOC DRAMATE,**  
partim ex *Horatio* partim ex *Ouidio* desumpta, quorum modulationem gratissimam, adiuncta commodulatione fidicinantium tibiisque canentium, elaboravit, Gymnastii nostri honoratissimus

Collega et Cantor,

*Domin. Carolus Fridericus Goesselius.*

**ACTV I. SCEN. XIV.**

CHORVS.

*Prudens futuri temporis exitum  
Caliginosa nocte premit Deus:  
Ridetque, si mortalis ultra  
Fas trepidat. Quod adest, memento  
Componere aequur. Caetera fluminis  
Ritu feruntur.*

**ACTV II. SCEN. V**

*Iam fides, et pax, et honor, pudorque  
Prisus, et neglecta redire virtus  
Audet, apparetque beata pleno  
Copia cornu*

**ACTV III. SCEN. VIII.**

*Aequam memento rebus in arduis  
Seruare mentem, non secus in bonis  
Ab insolenti temperatam  
Lactitia.*

**ACTV IV.**

*Conscia mens ut cuique sua est, ita concipit intra  
Pectora pro facto spemque metungue suo.*

**ACTV V. SCEN. VII.**

GENIVS ANCHISAE

*Sperat infelix, metuit secunda  
Alteram sortem bene praeparatum  
Pectus: informes hyemes reducit  
Iupiter: Idem  
submouet. Non, si male nunc, et olim  
sic erit.*

**SCEN. XII.**

PROTEVS

*Gens, quae cremato fortis ab Ilio  
Iactata Tuscis aequioribus sacra,  
Natosque, maturosque patres  
Perferet Ausonias ad urbes:  
Duxit ut illex tonsa bipennis,  
Nigrae feraci frondis in Algido,  
Per damna, per caedes, ab ipsa  
Ducit opes animumque ferro.*

Vt itaque huic umbratili labori nostro nostrisque quibusdam discipulis Primae Classis in Gymnasio, iam nominatis, indulgere haud indignentur, id est, quod iam nunc **MAGNIFICVM** atque **AMPLISSIMVM SENATVM**, aliosque **Pactores** et **Amicos** omnes obsequiose et officiosissime rogo et oro. P. P. A. D. XII. Kal. Nouembr. MDCCLXIV.





AENEAS  
HOSPITIO ACESTIS IN SICILIA  
EXCEPTVS,

DRAMA,  
QVO  
CONSVLI MAGNIFICO  
FASCES QVINTVM AVSPICATO  
CAPESENTI,

ATQVE

FICO ATQVE AMPLISSIMO  
SENATORIO

IS ZITTAVIENSIS

INCLVTAE,

GRATVLAVNDVM

ET SVBMISSIONEM DEBITAM

ISSIME OFFERT,

" AD QVOD

OCTOBR. CIOCCCLXIV.

H. L. Q. C.

DVM AVDIENDVMQVE,

VA PAR EST,

BSERVANTIA ET AMORE

INVITAT

NIEL RICHTERVS,

NAS. DIRECTOR.

PTERIS VIDVAE STREMELIANAE

